

De confirmatione D. Henrici Comitis Goriciæ in Capitaneum, & de verra orta inter eum, & quosdam.

Anno prædicto, die . . . exeunte Januario, cum veraciter scitum fuit de obitu Domni Patriarchæ, fuit in Civitate Colloquium generale: in quo Colloquio confirmatus fuit Dominus Comes per eos omnes, qui hoc facere habent, in Capitaneum usque ad adventum futuri Domini Patriarchæ; & ita omnes juraverunt sub eo.

Stante vero tota Terra in bona pace & tranquillitate, die Lunæ VI. exeunte Majo, facta fuit in Utino quædam jura, & conspiratio contra Dominum Comitem: in qua fuerant Utinenses, Glemoneses, Domini Odolricus de Cucanea qui factus fuit Capitaneus in Utino, Artuicus de Prampergo qui factus fuit Capitaneus in Glemona, illi de Villalta, Federicus de Sufans, illi de Colloredo, de Mels, & multi alii Castellani. Et eodem die D. Artuicus cepit Arteniam, & Buyam: quæ loca tenebantur per Dominum Comitem. Habitatores de S. Daniele, & de Faganea dicta loca acceperunt in se: & ita multiplicata sunt mala in Terra. Qui Dominus Comes, congregato non modico exercitu, fuit ante Glemonam: & runcavit eis segetes, vites, & arbores, & eis intulit magnum damnum.

De Castro de Sufans.

In Festo SS. Gervasii & Prothasii, cum dicto suo exercitu ivit ante Castrum de Sufans, & intulit intrinsecus statim bellum: & ipsum Castrum habuit ipso die circa Completorium Fratrum. Et captis tribus filiis D. Federici cum aliis pluribus, D. Federico non existente tunc in loco prædicto, quia erat Glemonæ; acceptis Mobilibus, & exportatis quæ intus reperta fuerant, die sequenti ipsum Castrum funditus fecit dirui.

De Castro Colloredo.

Diruto Castro prædicto, statim obsedit ipse Dominus Comes Castrum de Colloredo; & cogitantes Domini se non posse tenere de dicto Castro, se subtraxerunt dimisso loco bene munito farina, vino, & aliis necessariis, necnon bonis ballistis, & viris non paucis. Demum ipse Dominus Comes ipsum locum habuit, affidatis tantummodo personis, quæ intus erant, die VI. exeunte Junio: & ipsum funditus fecit dirui, acceptis prius bonis intus repertis.

De Castro de Mels.

Die X. exeunte Junio, idem Dominus Comes cum toto exercitu suo obsedit Castrum de Mels: & duravit obsidio usque ad XIV. diem exeunte Julio; tali pacto & conditione, quod Castrum de Buya, quod fuerat acceptum, Domino Comiti eidem restituerunt: & steterunt illi De Mels dare illis de Colloredo pro damnis, C. & L. Marchas; quia dicebant illi de Colloredo, quod causa illorum de Mels habuissent damnum quod habuerunt, & se Domino Comiti opposuissent.

De Murutio.

In Festo B. Margaritæ cum toto exercitu Dominus Comes obsedit Morusium: & die IV. sequenti venerunt ad concordiam in hunc modum. Videlicet, quod illi de Murusio juraverunt parere Domino Comiti: sicut Capitaneo, usque ad adventum Domini Patriarchæ: & Castrum debere

custodiri per D. Wynther, nomine Domini Comitis, usque ad annum unum. Facta compositione & concordia de Morusio, sequenti die obsedit Villaltam: & cum videret nihil ibi posse proficere, inde recessit. Et die . . . Augusti venit in Villam Reanæ & Zumpis, & accepit aquam Utinensibus. Postea die XIII. cum toto exercitu suo venit ad villam Orsaria, & ibi fecit cum suis & circumquaque damna magna. Utinenses vero, statim cum recessit, miserunt aquam.

De concordia inter Dominum Comitem, & Utinenses, & Glemoneses, & Castellanos.

In Festo Decollationis S. Johannis anno prædicto, facta fuit concordia inter Dominum Comitem ex parte alia, in hunc modum . . .

De Briga facta in Civitate.

Anno M. CCC. XV. die Dominico XIII. intrante Julio, post cenam in hora Completorii Fratrum, Henricus, filius quondam D. Johannis de Portis, cum quibusdam suis complicitibus ex parte una, & filiis Virgilii, Guillelmi de Grusipach cum suis fautoribus ex alia, convenerunt ad brigam apud Domum Communis. Qui Henricus ibi statim fuit interfectus. Supervenit autem Federicus frater ejus: & ipso ignorante de facto totaliter, exclamando pacem, fuit vulneratus, & mortuus fuit ante campanam ignis; & quamplures vulnerati fuerunt. Ex alia parte fuit vulneratus Guillelmus de Grusipach cum filio, & nepote, & aliis pluribus. Guillelmus vero Gallongani cum parte sua ascenderunt supra Turrim D. Asquini de Varmo; ita quod per totam Terram erat prælium maximum. Tunc D. Federicus de Erbestayn, Mariscalcus Domini Comitis, cum Dominis de Portis amicis versus dictam Turrim adeuntes, volebant eos capere: sed illi cum ballistis, & lapidibus se defendebant. Ad ultimum se dicto Mariscalco tradiderunt. Qui eos, scilicet Johannem, & Guillelmum Galengan fratres cum uno filio, Virgilium cum tribus filiis, Raynerottum cum duobus filiis captivavit in domo De Portis: & bona eorum fuerunt per Theotonicos accepta. Unus filius Guillelmi prædicti, qui latuerat in Civitate, die Martis sequenti, projecit se per muros Terræ, volens fugere: & apud pontem portæ Broffanæ fuit interfectus, ac per totam Terram strascinatus. Dominus vero Comes Goriciæ venit in Civitatem die Dominico tunc sequenti: & die Lunæ in Vigilia S. Mariæ Magdalene fecit amputari caput Guillelmo Galengani apud domum Communis. Tunc Dominus Comes fecit duci Raynerottum, Virgilium cum filiis, & filium Guillelmi prædicti Goriciam: unde multa mala creata fuerunt. At illi de Portis cum amicis suis obtinuerunt.

Anno Domini M. CCC. XVII. Sanctissimus Papa Johannes ad preces Regis Roberti dedit Patriarchatum D. Castono de la Turre in Festo S. Sylvestri. Anno M. CCC. XVIII. die XII. exeunte Augusto D. Castonus Patriarcha veniendo Florentiam in Forumjulii obiit, & ibi sepultus est.

Anno Domini M. CCC. XIX. Sanctissimus Papa Johannes providit de Patriarchatu Aquilegiensi D. Pagano Episcopo Paduano.

Anno Domini M. CCC. XX. die XII. Novembris, fuit prælium magnum in Utino apud domum Communis inter Dominos, Hestorem, & Federicum, fratres de Savorgnano, & eorum amicos ex parte una; & D. Sperantium, & Vintilinum fratres, cum amicis suis ex alia. Qui venientes ad injurias, cœperunt dictæ partes inter se

altera

*266 Cod. Marc.
Cl. xv. lat. 497 f.
(s. XIV) 225
in lat.*